



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

6. An ex dicto unius testis immediatè deponentis de delicto possint
Inquisitores reum torquere? Et quid maximè, si unicus testis sit omni
exceptione maior? Et quid est faciendum, si reus sit bonæ ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

RESOL. V.

An si adsint plura indicia probata tamen per testes singulares, possint Inquisitores torturam adhibere? Ex p. 4. tit. 6. Ref. etiam 5.

S. 1. Negativè videtur respondendum, per ea, quæ adducit Rojas de heretic. part. 2. num. 286. Simanca in cathol. instit. tit. 65. n. 14. & Pegna in direct. part. 3. comment. 110. asserentes quod indicia, ex quibus reus torqueri potest, probata esse debent, & ex neotericiis tenet, licet cum formidine hanc sententiam Menochius de probat. lib. 1. q. 91. n. 6. & illam absolūtè tenet Antonius Gomez tom. 3. var. cap. 14 n. 18. & Franciscus Personalis de Mirandula in tract. de indic. & tortura num. 63. ver. nec obstat, cum Socino & Grammatico penes ipsum.

Sup. hoc in
Ref. quæ hic
est appoc.
dens.

2. Sed his non obstantibus ego puto, quod licet quodlibet indicium duobus testibus debeat probari, ut sit sufficiens ad torturam, ut supra dictum est; at tamen ubi plura essent indicia, licet probarentur testibus singularibus, sufficerent ad torturam, & ita ex Fulgoso, Socino & Bruno docet Vmberius Locatus post praxim Inquis. quest. 35. quibus etiam ex nostris ego addo Antonium Soulam in aphor. Inquis. lib. 2. cap. 39. num. 19. Seraphinum Freytam in addit. ad tract. de Confess. sol. cit. quest. 22. num. 20. & Albertinum de agnoscen. asser. cathol. quest. 25. num. 20. ubi sic ait. Licet indicium ad torturam debeat per duos testes probari, tamen negari nequit, quin unus testis faciat aliquam præsumptionem, & ideo si plures testes sint singulariter de singulis indicibus deponentes, dicentur plures facere præsumptiones, quæ faciunt unum indicium ad torturam. Ita ille, & Layman in Theol. moral. lib. 3. sect. 5. tract. 6. cap. 4. num. 7. Franciscus Brunus tract. de iudic. & tort. part. 1. quest. 2. n. 5. Antonius de Ballis var. tract. lib. 1. quest. 5. num. 1. & ult. & ego hanc sententiam mordicus teneo, quando testes singulariter de indicibus deponent. observant Doctores, quos citat & sequitur Gyrba conf. 87. n. 30. cui adde Guazzini tom. 2. lib. 1. defens. 30. c. 4. n. 13. Soulam loco citato loquentem de indicibus proximis, & Quevedo lib. de indic. & tort. cap. 7. num. 1. & 2. licet doctus Criminalista Petrus Caballus cum multis Doctoribus probabiliter sentiat in resol. crimin. cent. 2. cas. 193. num. 6. etiam indicia remota esse sufficientia ad torturam, si præbentur testibus singularibus minus idoneis, & repulatis, dummodo sint plures numero duorum, quod etiam docet Bertazzolus pater vol. 1. consil. 214. num. 8. & ejus filius in addit. lit. C. Et tandem pro coronide hujus resolutionis apponam verba Antonij Soula in aphor. loc. cit. n. 20. ubi sic ait. Indicia remota requirunt, ut probent ad torturam contestationem duorum testium, aut plures singulares, qui deponent de illis, quæ tendunt in eundem finem. Ita ille. Vide etiam circa præsentem questionem quando casus occurrerit, M. Anton. Deltium in disquis. Mag. Appen. 2. lib. 5. q. 10. per totam, & Guzzinum tom. 2. lib. 1. defens. 30. cap. 32.

RESOL. VI.

An ex dicto unius testis immediatè deponentis de delicto possint Inquisitores reum torquere?

Et quid maxime, si unicus testis sit omni exceptione major?

Et quid ob faciendum, si reus sit bonæ famæ, vitæque integre?

Et an si reus sit mala famæ, possit ex unico teste de visu devenire ad torturam, etiam si dictus testis non sit omni exceptione major? Ex part. 4. tractat. 6. Resol. etiam 6.

S. 1. Respondeo affirmativè si testis unicus sit omni exceptione major. Ita Villadiego in pol. Ref. in cap. 3. n. 367. Bernardinus in addit. ad Amosimum de process. inform. lib. 4. cap. 1. n. 16. Rojas de heret. part. 2. in direct. part. 3. quest. 61. & ibi Pegna comment. 110. Zanchinus de heret. cap. 9. & ibi Campegio in addit. Ref. lit. E. Cantera in qq. crim. cap. 2. de probat. per testes q. 1. n. 5. Ludovicus Peguera in praxi cap. 11. §. 9. m. 7. Suarez de Paz in praxi tom. 1. part. 3. cap. 3. §. 1. n. 39. & in Filliucius tom. 2. tract. 40. cap. 7. n. 116. Miranda in ord. dine indic. tom. 2. q. 26. art. 6. concl. 1. Soula in Aphor. Inquis. lib. 2. cap. 39. n. 17. & quis dicatur testis omni exceptione major, glossa ver. majores cap. 1. de offi. & consanguin. dicit, quod ille dicitur testis omni exceptione major, qui repellit non potest aliqua exceptione, idest, sine ulla proflus macula, & invulnerabilis. Vnde Rolandus à Valle vol. 3. consil. n. 8. & Burfatus lib. 1. consil. 37. asserunt, quod omnis macula & minimus defectus impedit testem ne probeat indicium, quod etiam docet ex multis Maceratenis var. resol. lib. 3. resol. 44. cas. 4.

2. Sed quid si reus sit bonæ famæ? Respondeo quod tunc ad reum torquendum non sufficit unicus testis, etiam si sit omni exceptione major. Ita Sendacellus de heret. cap. 41. dub. 1. n. 1. Decianus tom. 1. lib. 5. c. 36. n. 6. Sanchez in opus. tom. 2. lib. 6. c. 3. dub. 1. n. 3. Soula in Aphor. Inquis. lib. 2. c. 39. n. 17. Pegna in direct. Inquis. part. 3. comment. 110. Michael Zanardus in direct. Theolog. part. 3. cap. 95. fol. 513. Ioseph de Sancta Maria in Tribunal. Relig. tract. 5. cap. 2. §. 5. & Simanca in Enchir. tit. 54. n. 13. ubi sic ait: Necessaria est saltem dimidiata, sive semiplena probatio ad torquendum hominem; reus ergo infamatus torqueri poterit unius hominis fide digni testimonio de crimine ipso testificante, quod si reus sit bonæ famæ, alia præterea indicia necessaria sunt. Ita ille, & ideo S. Ludovicus Rex Galliarum, teste Socio de off. 103. n. 2. & Aldrete de discipl. tuen. lib. 1. cap. 17. n. 11. statuit nullum virum honestum, vel integræ famæ, quovis pauper existeret, ad unius testis depositionem posse torqueri, vide Grammaticum consil. 47. n. 18. Non desinam tamen huc adnotare; contrarium docere Petrum Caballum in resol. crimin. cent. 1. cas. 84. n. 15. ubi docet bonæ famæ probationem tollere indicium ad torturam provenientem ex fama, secus si ex aliis indicibus, alias vix posset unquam torqueri ex quibuscumque urgentibus indicibus, cum nullus sit tam depravatus vitæ, qui non facile hodiernis temporibus reperire posset testes ejus bonam famam probantes. Sed DD. Inquisitores facile scire possunt, si revera reus sit bonæ famæ, vitæque integræ.

3. Vnde è contra dicendum est, ut ego sæpius in sacro Tribunali votatus sum, si reus sit malæ vitæ, posse ex unico teste de visu devenire ad torturam, etiam quod dictus testis non sit omni exceptione major. Ita Bajardus in addit. ad Iul. Clar. q. 21. n. 15. & Carretius in praxi crimin. leg. observare curabit. n. 110. quibus adde Menochium de præsumpt. lib. 1. q. 89. n. 6. & Farinacium q. 37. n. 65. qui hanc opinionem sequuntur, dummodo testis non sit ipso jure inhabilis, vel hujus non patiarur plures defectus, & dummodo inquisitus sit malæ vitæ, quia pota alias criminolus, & malæ famæ, non qui simpliciter vilis, vel pauper sit. Ita ille, & ego.

RESOL.